Nobiles et prudentes viri nostri fideles dilecti. Propter infelicem malo suo omine citra Rodani aquas transitum nonnullorum idiomatis mixti gencium sub voca-
bulo compagne sicud existentes in urbe Senarum et deinde in Civitate Averse in nostro de ipsa urbe versus Neapolim reditu iterato displicuerit preterquam vobis quos
inseparabiliter nobiscum peculiaris connectit hereditas universaliter et singulariter in visceribus caritatis compatimur et tantas adversitatum varias nostro propter nostra
quas continua sicud audivimus vos paciunt ingluvies compassibiliter miseremur. Sed quia semper quod in fidei constancia probatos alloquimur, non videmus prolixitate sermo-
nis insistendum nisi quod tamquam viri fortes qui per ignem et aquam pro nostra fide illibate servanda transivistis diversos et varia nobiscum fortune eventus cuilibet subivistis,
Conemini hostium impetus sagaciter elidere et eorum machinaciones noxias viriliter enervare. Et quia sicud vestre consolacionis et gaudii fuimus semper participes ita eciam
cuiuslibet intendimus esse non expertes. Attento quod causa nostra et vestra inseparabiliter tangitur et totius ydemptitatis presencialiter impugnatur. Et considerato similiter quod loca ipsius
provincie per que habebunt incedere sunt adeo sterilia quod non videmus quod multo tempore ibi valeant remanere. Sed quadam necessitate coactos eos quanto[us] abinde
discedere oportebit. Verumtamen vos nullatenus indefensos relinquere, sed vos ab hyantis faucibus viriliter preservare. Statimque ordinem dedimus et ad viros nobiles Abramotem
de Lanolta militem et dominum de Cristono ad Civitatem Firme misimus pro ducentis armigeris equitibus ad nostra stipendia conducendis et in provincialium nostrorum fide-
lium succursum atque subsidium quantocius transmittendis. Et cum in Civitate nostra Neapolis cras die Sabbati octavo huius mensis esse speramus, de tamen salu-
bribus et oportunis remediis providebimus eciam si oportet nos usque ad tunicam exponere quod habebitis exinde sicud credimus contentari. Et utinam concessisset nobis
deus nos marem existere ut per [nos] in partes ipsas personalem accessum de nostro quem erga vos gerimus experienciam faceretis. Sumite igitur sumite viri fortes
gentium et arma iterum sumite et dextras manus vestras ad prelium exercitate, digitosque vestros ad bellum extendite. Vosque vis hostilis non terreat, neque multitudo bella-
torum remittat, quia nostra potens auxiliabitur dextera et in virtute divini nominis illorum sequetur confusio plus amara. Speramus enim quod vos confisi non inmobiles
nec barbaries neque vos terrebunt pariter sui greges. Sed felicibus vestris principiis deo duce felicior arridebit. Post hec ut affectum nostrum quem ad ipsos Comitatus
gerimus vobis plenius innotescat diximus Senescallo nostro Provincie in presencia nobilium provincialium qui nunc secum venerant totiusque vestri consilii quod licet dicatur
per aliquos de alienacione seu vendicione provincie, tamen numquam nostre intencionis extitit nec existit prefatos comitatus a Regno nostro quomodolibet separare, neque
terras, castra seu fortellicia pignorare. Sed illas et illa tenere prout tenuit clare memorie dominus Rex Robertus reverendus dominus avus noster et in suo etiam
testamento huiusmodi alienacio seu vendicio prohibetur. Nosque super hoc tempore prestacionis vestri homagii prestitimus iuramentum, quod violare seu infringere nullatenus
temptaremus. Et cogeremur plurimum admirari quod quicumque vicinus vendicione seu alienacione vel pignoracionem presumeret ubi nullam a maiestate nostra haberet
exinde potestatem. Nichilominus mandavimus Cancellario Regni nostri quod de premissis incommutabili intencione nostra pro certitudine eorundem provincialium (quid)que cautela
fieri faciat nostra privilegia oportuna. Datum Averse, sub Anulo nostro secreto die vij. Aprilis vj. Ind. Post datum. Noveritis quod Neapolim pervenimus et iam ordinem
dedimus mittendi quendam notarium ad prefatam Civitatem Firme pro satisfaciendo ducentis armigeris supradictis et infra dies brevissimos et semper quantum
negocia provincie fuerint cordi nostro infixa, que sicud deus novit nostre super illis die noctuque sollicitudines excitant. Datum Neapoli sub eodem Anulo nostro
secreto die viiij. Aprilis vj. Ind.